





8.67, 21

Wc  
515

ΕΥΦΗΜΙΑ

# MINVPTIASIL LVSTRISSIMI PRIN- CIPISACDOMINI D: IO-

ANNIS DVCIS SAXONIAE

Comitis provincialis Thurin-  
giæ, Marchionis Miśniæ

CVM ILLVSTRISSIMA PRIN-  
CIPE AC DOMINA D. DOROTHEA MA-  
RIA Illustrissimi Principis ac Domini D. IOACHI-  
MI ERNESTI Principis Anhaltini, Comitis  
Ascania & Ballenstädtij, Domini Servesta  
& Bernburgi beatæ memorie re-  
licta Filia celebratas

ALDENBURGI  
VII. Idus Ianuarij A. O. R.  
CIC CI XCIII.

Debita subiectio[n]is ergo  
Scripta

A M. VVOLFGANGO HEIDERO  
Profess. Acad. Ienens.



IENAE

TYPIS TOBIAE STEINMANNI.





**A**rx vetus ad Pleissę gelidas sita fluminis undas,  
Magnifica constructa manu, pluviale minaces  
Erigit in cælum muros, & pingui a lenti  
Despiciit arva soli, quæ vomere dives obunce  
Mysus arat, latisq; docet flavescere aristis.  
Hanc cum finitima quondam ditione tenebat  
Arbiter imperij Cæsar, nunc capta secundo  
Marte lubens cessit D v c i b v s, quos sanguine cretos  
O V V I T E K I N D E tuo ingenti percussus amore  
Esuperis lustras recolens, numerumq; recenses.

Huc sua, quod patriæ vertat benē, nobilis arma  
Fixit IOANNES Princeps, vitæq; locavit  
Providus hospitium: latissimus hospite tanto  
Aereosq; ciet montes, vallesq; profundas  
Plausibus, ac letum ingeminans Pœna triumphas  
Mysus, & assiduis onerat pia numina votis.

Hic valido dum fertur equo, cursuq; nivosa  
Dvx alacris sylvas transmittit, & aer a rauco  
Sollicitat cornu, sevoscq; cubilibus ursos,  
Et rabidos excire lupos, excire frementes  
Gaudet a pros lato quatiens venabula ferro,  
Diraq; sternit humi variarum monstra ferarum  
Advolat aereus Amor ales ab aethere pennis,  
Advolat: & quamvis, ait, aufugientibus instes  
Dvx generose feris, celeremq; roteris in orbem  
Vectus equo spumante: meas eludere certè  
Non poteris, sed nec cupies potuisse sagittas.

Sic ait, & Pharetram capiens, argentea promis.  
Spicla manu, nervumq; trahit: fatalis arundo  
Emicat & ventis, & fulminis ocyor alis,  
Et Iuvenis secura Dvcis præcordia rumpit.  
Pratinus occultus vapor ossa per intima currit,

Pauillatimq; novos sub pectore suscitat ignes,  
Et fomenta rapit, tenerumq; latentibus haurit  
Cor flammis, uritq; iecur, torretq; medullas.

Ardet amans, quaritq; noui medicamina morbi,  
Si quis Apollinea Podalirius arte ministret.  
Quos Nepenthes habet, uel quos Panacea, uel herba  
Nymphae succos, gratissima amantibus herba,  
Vulneribusq; caro, si quæ figuntur biatu.

Risit amor, latusq; novis successibus infit:  
Dux animose tui Nymphaea levamen amoris,  
Et medicamen erit, sed non quam Sicelis Enna,  
Non quam Thessalia Tempe, vel Adonidis horri  
Irrigo peperere solo: nihil alma moratur  
Floriferum Tybur, bisterig, rosaria Patti  
Cypria: Sed propriam PRINCBPS tibi fata dicabunt  
Nymphaeam meliora Dei, quam leta vetustum.  
Ascania tellus, quæ dicit ab Ascane nomen,  
Edidit, & teneram gratas eduxit in auras,  
Hic ubi Mulda suas gelidis cum fluctibus Albis  
Miscet aquas, Dessimq; vagis praterfluit undis.  
Hac tibi Nymphaeam regio dedit: altera sovit,  
Fovit odoriferis in vallibus, incola Cattus  
Quas arat, & patrijs non degener afferit armis.  
Dixerat, & revolans Amathunta volucribus alie  
Grande sua gestit facinus memorare parenii.

Dicta fides sequitur: flammis uruntur ijsdem  
Pectora bina: tori coeunt in fadera dextra  
Egregijq; DVCIS, quem nobilitate potentem,  
Et virtute parem proavis, niger illitus auro  
Transverso clypeus, rutaq; corolla virentic  
Düs miscet superis, stellisq; micantibus inferi,  
Egregieq; DVCIS, patrii quam sanguinis index

Ramus 5

Raucus in Hercynia qui saltibus Ursus oberrat,  
Eximiam pietate, fide, virtute, pudore,  
Saxonis addit Nymphis, quas inter, ut alto  
Roscida luna micat, Phœbeaq; lampas olympos.

Iamq; diem propero Sol aureus extulit ortu,  
Quo cupido ducenda venit nova nuptia Marito,  
Et sacris operata pias sistetur ad aras,  
Inq; Viri translata domum, concondere scandet  
Iussa novum pudibunda torum, qui nectaris halat,  
Ambrosiaq; leves passim diffundit odores,

Finitimi coēunt proceres, adsuntq; vocati  
Saxo gravis, Mysusq; sagax, veterumq; Thuringus  
Simplicitate patrum gaudens, & Francus amita  
Libertatis amans, ac erg; Nariscus in armis.  
Quisquis adest, pia vota facit, castumq; precatur  
Numen, ut unanimi religet duo pectora nexus  
Latus Hymen, quem nulla dies, sors nulla, nec ipsa  
Solvere mors possit, licet omnia solvere possit.

Mox donis onerant mensas, auroq; rigentes  
Chrysolithoq; scyphos, nitidisq; monilia baccis,  
Armillasq; ferunt lati, teretesq; lapillos  
Accumulant, quos dives Arabs, quos decolor Indus  
Colligit, & gelidam demittit avarus ad Arcton.

Quid faciam? Plutus testudinis instar, & atris  
Mulgiberis nostris monitus succedere rectis  
Lentus abest, titubatq; gradu lapsurus anhelo.  
Vnde mihi facti neg; copia suppetit auri  
Vlla, nec infecti, neg; litoore Concharubentis  
Lecta maris: tota securus in ade vagatur  
Textor, & in vacua spatiatur araneus aula.  
Lanifica textor genus exitiale Minerva.  
Et tamen illustri pietas, gratiaq; paratum.

Pectoris obsequium lato dare munera vuln  
Qualia cung<sup>z</sup> Dvc iussere : quid impedit ergo ?  
Ruricolum spectare virum, qui dona ferebat  
Promtus Achæmenio Regi , quas hauserat , undas  
Callosis vitrei manibus de flumine Cyri.

Ergo libet, quodcung<sup>z</sup> licet : mea munera porta,  
Porto leves chartas , chartacea munera semper  
E Pandionij Academia mittit Athenis.  
Hac modulanda novis Hymenëia carmina sponsis  
Delius occinuit vates Thymbræus Apollo:  
Materiam civis mihi Lesbias obtulit , illam  
In trivij pueri quondam cecinisse feruntur.

Suscipe pacato tenuem Dvx inclyte vultu,  
Alloquioq<sup>z</sup> tuo pavidam solare Camenam.  
Sic mihi crescendi dabitur bona copia : sic te,  
Et quondam tua facta lubens, modo vita superstis,  
Alite Mæonij versus super aetheræ tollam,  
Alg<sup>z</sup> Sophoclei numeris memorabo Cothurni.  
Sed quid uterq<sup>z</sup> tibi PRINCEPS agè suggestat audi.

Δῶρον Γαμήλιον

Munus Nuptiale

Τὴν κατὰ σαυτού ἔλα }  
Tu tibi sume parem } Pittaceus



Nimium felix , qui sanguine cautus , & annis ,  
Moribus , & casto dicit amore parem .  
Non bene conveniunt , nec in ade morantur eadē  
Mopsus , & Acacia nobile virgo genus .  
Pamphilus exultans viridi iuveniliter aeo ,  
Et rugosā cutem , fædag<sup>z</sup> Thais anus ,

SOCRA-

Socratusq; Senex, uxorq; temansq; pluensq;  
Sponsa furens odio, Sponsus amore calens.  
Felix ô PRINCEPS, quod sanguine cautus, & annis,  
Moribus, & casto ducis amore parem,  
Progenies veterumq; Ducum, Regumq;, potenti  
Saxoniae sceptrum qui tenuere manus.  
Si priscas animo libeat percurrere ceras,  
Et patriæ magnos ordine gentis avosq;  
Non Fabij, Curiq; senes, fortesq; Camilli  
Familiam poterant equiparare tuam.  
Sepe leges acres VVitekindos, saepe Timones,  
Heinricosq; graves Marte togaq; Duces,  
Conradosq; leges, & Dithrichios, & Otones  
Aequantes animi nobilitate genus.  
Si modo summa sequirerum fastigia coner:  
Ilias est operis longa futura mei.  
Inolytus occurret rutilis FRIDERICVS in armis,  
Cui puero teneram lasit amica genam  
Mater, in exilium properans. Vrbs servat in arce.  
Isidis invita signa locumq; fugæ.  
Ille tuas aquilas Adolphus fugavit, & omnes  
Alberti patrio milite fregit opesq;  
Subdere cùm ferro Mysos, emtosq; Thuringos  
Imperio cuperet Cæsar uterq; suo.  
Quid Fratres memorem, quibus aucta parentibus olim,  
Nunc gemina crescit Posteritate Domus?  
Primus eras ERNESTE, ferox ALBERTUS Secundus,  
Quos rapidis prædo vectus abegit equis.  
Proh tanti generis spem penè maligna tulissent  
Fata, sed invito res fuit acta Deo.  
Sordidus obscura fuligine Rusticus hostem  
Excipit, amissos restituitq; Duces.

Sed

Sed FRIDERICE quibus cælo te laudibus aquem  
Iudicij Sapiens dexteritate tui?  
Te geminum vibrante manu feliciter ensem,  
    Virgineo doctas ex Helicone Deas.  
Lencoream duxit Latonius augur ad urbem;  
    Et vena Clarias ubere fudit aquas.  
Imperij fasces renuis, lassusq; senecta  
    Impositum transfers, ut ferat alter onus.  
Hoc nova purpureo sub Principe cœpit olympos  
    Orbe vagum toto spargere flamma subar,  
Ignivomag; procul magnum per inane volantes  
    Nubibus ex atris emicuere faces.  
Haec dubias Latia noctis pepulere tenebras,  
    Quæ spredo terris incubuere Deo.  
Auspicio FRIDERICÆ tuo lux illa resulsa:  
    Splenduit auspicio dive LVTHERETUO.  
Sed nec Fratre minor stabili pietate IOANNES  
    Et solido firmi robore cordis erat.  
Ille Deum, puramq; fidem profitetur in urbe,  
    Quam Lycus Alpinis alluit amnis aquis,  
Romuleaq; palam turpissima Chloridis acta,  
    Pestiferas fraudes, lucifugumq; nefas  
Detegit, & totum vulgat gravis auctor in orbem,  
    Qua sol luciferus flectit anhelus equos.  
Protinus infrendet lachrimabilis arbiter orci,  
    Et tria tergeminus surrigit ora canis.  
Vipereos agitans Cocytia virgo capillos  
    Corripit ardentes irrequieta faces.  
Fulmina molitur sacra Latialis ab arce  
    Iuppiter, & vanis perstrepit usq; minis.  
Quin rapidis toto ventis ciet aquora fundo,  
    Qui regit Hesperias Phorcus Iberus aquae.

Sed

Sed frustra: nec enim decima gravis impetus unda,  
Nec crebro piceus qui micat igne polus,  
Umbrosig, movens Acheronta magister Averni,  
Damna parata bonis, exitiumq, ferunt,  
Cum quibus alma Dei pietas ope tuta, profundum  
Per mare: per flamas, per styga carpit iter.  
At tibi quas laudes Princeps FRIDERICE IOANNES,  
Quæ fatis referam carmina digna tuis?  
Te puerum sacro cum mergeret amne sacerdos,  
Et prece divinam sollicitaret opem:  
Aurea crux humeros inter colluxit: at omnes  
Augurio trepidi diriguere novo.  
Mox agitante Deo verax canit omina vates:  
Infans conspicuam sufferet iste crucem,  
Afflictig, teret Christi vestigia, cuius  
Salvificam stillat sanguine lotus aquam.  
Quæ cecinit vates, docuit post exitus ingens,  
Et fluxam temerans sors inimica fidem.  
Nam patria dum bella geris pro lege, piog,  
Pro gregenon trepida corripis arma manu,  
Immanesq, lupos sacris ab ovilibus arces,  
Et vulpes olidas, setigerosq, sues:  
Excipis heu calido manantia vulnera tabo,  
Vulnera conscißis sanguinolenta genis,  
Et victore miser deprehensus ab hoste, sed insons,  
Cum patro patrias munere perdis opes.  
Te flevere poli mærentia sidera, Phæbus  
Palluit attonitis obstupefactus equis.  
Intumuere pijs lachrimis & Rhenus, & Albus,  
Et pavido condens gurgite Sala caput.  
Sed Dux magne tui solamina milla laboris,  
Mærorisq, tui gaudia mille capis,

B

Sub



Sub pedibus nunc astravides, & inania tides,  
Quæ bona mortales numinis instar habent.  
Quin tua fama volat totum mansura per orbem,  
Donec erit cœlum, sidera donec erunt.  
Donec erit pietas recti sibi conscientia, donec  
Sala Medusæs volvet, & Albis aquas.  
Libera donec erit pugnax Germania, donec  
Respet Hispanum Saxonis ora iugum.  
Tu quoq; successor patriæ pietatis & heres  
Certus IOANNES Dux GVLIELMVS eras.  
Semper amore Dei flagrans, & amore tuorum,  
Iusticia præstans, militiæq; potens:  
Non te, vincla Pater cum ferret iniqua, pudebas  
Ad CAROLIM molles procubuisse pedes,  
Et patriæ pacem, veniamq; rogare Parenti.  
Audijt innocuas Cæsar ut ergo preces.  
Tucum Fratre dabas palantibus ocia Musis,  
Perculerant pavido quas sera bella metu,  
Optatasq; vagis sedes, & tecta locabas,  
Hic ubi vitiferos Sala pererrat agros,  
Et clivosa super nubes attollit, & imbræs,  
Valle iacensima nobile Iena Caput.  
Quid validis posses aer bellator in armis,  
Bis relevata tua Gallia sensit ope.  
Heu properata nimis rapuit te Parca, decebat  
Hic sattem indomitas abstinuisse manus.  
Sed patriæ Gnatii solatia magna dederunt,  
Qui vultu referunt, ingenioq; patrem.  
TU FRIDERICE caput gentis GVLIELME, benigna  
Quo melius terris fata dedere nihil,  
Donabuntq; licet priscum redigantur in aurum  
Ferrea cum Samio secula mista luto.

Et tu S P O N S H tuum paribus qui passibus aquans  
Fratrem, non dubia tendis ad astra via.  
Hac igitur generis tibi sunt primordia: sunt hæc  
Incrementa tuae non reticenda domus.  
Scilicet à magnis animosa parentibus orta  
Posteritas claros amula vincit avos.  
At Iovis armigerum neq; Chaonis educat ales,  
Nec parit Oebalias uvida Scilla rosas.  
Ergo legis PRINCEPS S P O N S A M , quod fata secundent,  
Antiqua generis nobilitate parem,  
DOROTHEA M munus superum fatale MARIAM ,  
Sed tamen in qua nil iuris amaror habet,  
ASCANIA de gente satam, quam condidit olim,  
Qui cani pronepos vitisatoris erat,  
Ascanius, sacro cui nomen ab igne Gomerus  
Fecit, & à patria relligione senex.  
Is procul è Phrygia Cimbrosq; trucesq; Caycos  
Transtulit, occiduas certus adire plagas,  
Et latos socijs campos dedit arbiter, inter  
Oceani fluctus, Hercyniumque nemus,  
O quos illa Duces veteri gens edidit ortu,  
Præsentemq; ferax, edit ad usq; diem.  
Bernhardosq; , Berenvaldosq; , Berengeriosque,  
Nomina carminibus non satis apta cani.  
Albertosq; feris similes conatibus ursis,  
Pro meritis Rutam qui peperere suis.  
Rudolphosque dedit, magnos dedit illa Georgos,  
Egregios bello, consilioque Duces.  
Et quos Musa nequit tenui comprehendere versu,  
Ardua Maonium nî meditetur opus.  
Ensi feri rexere tuas ô Saxonis ora,  
Qua fæcundus agros irrigat Albis opes.

B a

Sceptris

Sceptrigeri rexere tuas ó belliger arces  
Brenne, vagus raram qua Sprea carpit humum.  
Eloquar an fileam? sors scilicet omnia versat,  
Et manet in nullo certa tenaxq; loco.  
Contudit hæc Vindos armis, Henetosq; rebelles,  
Vicit Obotritos, Cassubiosq; Domus.  
Casareasq; sequens aquilas, & Thybridis undas,  
Et pavidas Arni sanguine tinxit aquas.  
Tug procax temere Venetus Neptunia præceps,  
Pulsus ab Ascanio milite, regna petis.  
Semper Idumæas retulit victoria palmas  
Signa, Palestinos depopulatus agros  
Balstadij Princeps, quoties sub Casare sacra  
Munia militia iussus obire fuit.  
Sed quid ago? priscos quid opus versare libellos?  
Quod memorem versu, tempora nostra dabunt.  
Ille decus patriæ, nova lux Germanidos ora,  
Et generis columen præsidiumq; sui,  
Teutonicæ spirans virtutis imago, Cherusci  
Egregijs ausis amulus Harminii  
CHRISTIANVS, timido nunquid languore solutus  
Mollia securis ocia rebus agit?  
Penelopes inter Sponsos, residemq; Iuventam,  
Stertere quæ medios gaudet ad usque dies,  
Et nitidam curare cutem, choreasq; sonantes  
Ad querula argutæ plaudere fila lyra.  
Scilicet haud par est, proceres sorbere, DVCESq;  
Turpiter Aeæa tradita pocula manu,  
Immanesq; lupos, sævoscq; referre Leones,  
Indomitos ursos, vulnificosq; sues.  
Ille procul patria, primis animosior annis,  
Cum vigili audaces conserit hoste manus.

Atque

Atq; vel Hispani tergo fugientis inharet,  
Qui petit invictam Solis iniquus auem,  
Ausoniæg miser pendens meretricis ab ore,  
Et captans alias, propria perdit, opes.  
Vel caussag; valens, caussamq; iuvantibus armis,  
Acria Marchiaco pro Duce bella gerit.  
Cardineumq; patrem, patrio sub nomine fædis  
Qui miseros furtis diripit hostis agros,  
Eiectum nostra procul è regione, paternos  
Si libet, ad Calabros, aut licet, ire iubet.  
Ille secat laqueos, & vinclata tenacia rumpit,  
Pontificum necit quæ scelerata cohors.  
Macte tuo PRINCEPS animo: sic itur ad astra,  
Sic teritur vera nobile laudis iter.  
Nempe tuam cupidis miseranda Liburnia votis,  
Horridus invasit quam Scytha, poscit opem;  
Te vocat attritus Paon, vocat Austriatellus  
I tua quò virtus, quò tua fata trahunt.  
O mihi si vita carentia stamina ducat  
Parca, tuas laudes ut memorare queam.  
Non me carminibus vincet, licet omnia vincat,  
Qui stygias querulo carmine mulgit aquas.  
Qui solidas cautes, rigidæg; cacumina quercus,  
Et rabidas traxit voce lyrag; feras.  
Hoc patriæ IOACHIME parens ERNESTE dedisti,  
Felix coniugio, progenieg, decus.  
Felix progenie, felix IOANNE GEORGO,  
Qui facili tractat sceptra paterna manu.  
Te gaudet socero gener exoptatus, & unum,  
Quod præceptor abest tam citò morte dolet.  
Si tamen & manes tangunt mortalia: quod si  
Noticiam seræ posteritatis habent;

Quis dubitet laxare tuum nova gaudia pectus?

Cum nitido tremulas cernis ab axe faces,

Illustresq; DVCEs, qui sunt tua cura, tuum cor,

Fædera legitimi casta ferire tori.

Sed quo nam rapior? Tibi gratulor optime PRINCEPS,

Sanguine quod SPONSAM fata dedere parem.

Omnia convenient, genus, & florentior ætas,

Convenient mores, convenient aquus amor.

Te nova lanugo decorat, firmiq; venustas

Corporis, & facies non nisi digna Deo.

Blandaq; conspicuo gravitas quæ lucet in ore,

Nil docet ingenio mitius esse tuo.

Vix habitat turpi præstans in corpore virtus,

Certa ferè mentis semina vultus habet.

Hospitio plerunque suo non dissidet hospes,

Assiduas reddunt frons animusque vices.

Sic tua quæ medianam quarti terit integra lustri

SPONS A viam, nostro vix habet orbe parem.

Cedat amica Venus, cedat Tritonia, cedat

Iliacas avido qua cremat igne focos.

Priamides uda recubans ignavus in Ida

Huic Eridos Index poma datus erat.

Ingreditur flavos auro religata capillos,

Candida Phidiacum fronte lacescit ebur.

Ex oculis castus pudor emicat, ipse Cupido

Excubat in teneris latus honore genus,

Vnde leves blandi faculas accendit amoris,

Quo calet aocensi pectus ab igne DVCIS.

Puniceo quid labra feram suffecta rubor?

Quid niveum collum, marmoreasque manus?

Quid facies dicam motus, habitusque decoros,

Quos SPONSAM Charites edocuere suam.

Sig

Sic Paphiam, salsis cum nata maderet ab undis,  
Cous inoffensa pinxerat arte senex.  
Te pietas aquat celo Dux Inlyte cælo,  
Et constans patriæ religionis amor.  
Sollicitamq; manu librans Astræa bilancem,  
Qua reprimis sonentes, immeritosq; levas.  
Tardus es ad panas PRINCEPS, ad præmia velox,  
Munificaq; seris dona benigna manu.  
Te neg; vis, neg; frans, nec mille pericula terrrent,  
Nec bona speratis sors movet acta rotis;  
Seu latos hilaris sumat Dea lubrica vultus,  
Seu fremat horrendis imperiosa minist;  
Cor tibi semper idem: si maximus irruat orbis  
Sidera, terra, fretum, cor tibi semper idem.  
Hac ô SPONS E tuos radiantibus intulit astris  
Virtus, absq; levi mobilitate, patres.  
Hac eadem rutili super alta Palatia cali  
Te vehit, & priscis addere gestit avis.  
Non minor in SPONSA reverentia numinis, illæ  
Prudenti superos simplicitate colit,  
Et licitis miscens operis pia vota, labores  
Temperat assidua religiosa prece.  
Ingenui servans decus immortale pudoris  
Nescit Acidaliæ furtæ nefanda Deæ.  
Vernat in ambro (io tacitura modestia vultu,  
Talis, ceu perhibent, Icariotis erat,  
Quam multi petiere proci, cum tentus abesset  
Aeolides, nulli sed tetigere proci.  
Ergo tua merito PRINCEPS ardescis amore  
DOROTHEAE, & gratum pectore vulnus alis.  
Desipit ô licito quicunq; repugnat amori,  
Felix cui placidus molliter afflat amor.

Sic pius Eurydices vates Rhodopeius arsit,  
Cum Cithara furvos ausus adire lacus.  
Sic cura tibi Grache fuit Cornelia, Caeso  
Quæ mare vipereo sola superstes erat.  
Quin & sponsa pari PRINCEPS tibi certat amore:  
Felix, qui quod amet, si redametur, habet.  
Non secus Hectorei ferro dilexit ademtum  
Cupidis audacem Laodamia Virum.  
Evadnegi sui quæfata secuta mariti,  
Desilit in medios interitura rogos.  
Et gladium casto quæ tradidit Arria Pato.  
Et referens durum Portia morte patrem,  
Sed vestri meliore Deo iunguntur amores,  
Non ruet in vestrum sors violentatorum.  
Vivite concordes animis, sobolescite natis,  
Laomedontæ vivite secla senis.  
Felix o nimium qui sanguine cautus, & annis,  
Moribus, & casto ducit amore parem.  
Felix o princeps, quod sanguine cautus, & annis,  
Moribus, & casto ducis amore parem.

**H**aec Mitylenæo cecini tibi Carmine PRINCEPS,  
Grate Deo, dilecte tuis; cape fronte Ierena.  
Quædamus exiguo munuscula debita cultu.  
Ipse Deum genitor non tantum thuris acerra,  
Panchæisq; bonus letatur odoribus, aut si  
Hostia multa nigras aspergine sanguinis aras  
Imbuat, & Lydum sacraria vestiat aurum:  
Sed quoq; purpureas violas e paupere censu,  
Pomaq; Corycijs Senis, & Carchesia lactis,  
Augustusq; probat raros ab ovilibus agnos.  
Dum loquor, ecce rubro Phæbus lavit aquore currum,

Et

Et fessis iuga solvit equis, spargitq; sonantes  
Cum fremitu , cantuq; nuces lasciva iuventus.  
Iamq; nouos ingressatoros , nova nupta verendi  
Tendit in amplexus SPONSI , gratisq; maritum  
Illigat obseqijs : sic scilicet aurea quondam  
In thalamum Pelēi Thetis ifse putatur, Achillem  
Mox paritura Deo similem , qui fortibus armis,  
Myrmi donumq; dolis Phrigias everteret arces  
Nunc igitur castis opus est , placemus amicos  
Ut precibus divos. Voveo tibi SPONS E beati  
Tot bona coniugij , sociæ tot gaudia vitæ :  
Franeia quot tepidis in collibus educat uvas :  
Triticeas quot alit fœcunda Thuringia messes :  
Quot fodit argenti Mysus ramenta : quot audax  
Pascit equos , armatq; viros Germania bello.

Ipse Deus vestros , pietasq; secundet amores,  
Aeternetq; fidem concordia , dira faceſſat  
Maternas repetens tenebras Eris : alma Citheris  
Natorum generosa ferat , generosa nepotum  
Pignora , fulcra Domus , generis monumenta , parentum  
Gaudia , ſpem patriæ , ſolatia Teutonis ora.  
Nec prius elapsi ſpatium mors occupet ævi ,  
Quam Pylios ætate ſenex aquaveris annos ,  
Et tua Deiphoben PRINCEPS generose MARIA  
Exuperet , misera languoribus abſq; ſenecta.

Naiades hoc mecum , Dryadesq; precantur , & opiant ,  
Quæ virides Salæ ripas , Ilmiq; frequentes  
Irriguis mucoſa colunt procul antra ſub undis.  
Aut gelidos nemorum saltus , ſylvasq; pererrant ,  
Glandiferas ſylvas , ingens ubi flexibus errat  
Albis , & umbrosas præcingit arundine ripas.  
Expetit hoc civis , petit advena , ditior ambit ,

G

Poscit

Et



Poscit inops, Iuvenis desiderat, agra senectus  
Orat, plebs optat, sacri vovet ordo Senatus.  
Hoc solidæ Virtutis amans tibi SPONSE precatur.  
Hoc castæ pietatis amans tibi SPONSA precatur.  
Hoc quicunq; bonus, pius est quicunq; precatur.

ΑΝΑΓΡΑΜΜΑΤΙΣΜΟΙ.

I.

ΙΟΑΝΝΕΣ ΔΥΧ.  
ΑΝΝΕΞΙ ΔΥΟΣ.

**A** Alma Dvos inquit, Pharetrati mater amoris  
ANNEXI socio non sine laude iugo,  
Te Princeps Patriæ spes summa, tuamque Mariam,  
Cui sine amaritie nomina fecit amor.

II.

ΙΟΑΝΝΕΣ ΔΥΧ.  
ΝΟΞΙΑ ΝΥΔΕΣ.  
ΔΕΒΣ ΙΝ ΝΟΧΑ.

**P** Atria cum faciles Princeps tibi tradet habenas:  
Noxia fac Nvdes, scelerataque fortiter ausa  
Sub dium rapias, durius viriliter hostis  
Conatus reprimas: sed civibus ô Bone mitis  
IN NOXA DEVS esto tuis, pavidosq; benignus  
Exaudi: satis est magno pro crimine paullum  
Supplicii sumfisse Deos, sumfisse parentes.  
Sic te blandus amor niveis circumstrepas alis,  
Perpetuaque tuas relevet dulcedine curas.

Ιο(η)αν-

### III.

IO(H)ANNES PRINCEPS SAXONIAE;

EN, A PRECE SPONSA, SI INNO XIA.

AN NON HAE SAXONIS PII PRECES?

**Q**uisquis es ô Iuvenis cui vincla iugalia curæ:  
**Q**EN, venit A casta cupido PRECE SPONSA marito,  
Si venit à vitijs INNO XIA, nescia culpæ.  
**A**N NON quæso PII Ducis HAE sunt SAXONIS, alto  
Quas è corde PRECES, quas pectore fundit ab imo.  
Felix ô Princeps pietate, beatus amore.  
Noxa tuuin non ulla torum, contagio nulla  
Inficit, sic fata iubent, sic numina poscunt.

### IV.

DOROTHEA MARIA.

HORA, TE AMORI DA.

THOROMARIA DEA.

MARITO ADOREA.

AT HODIE AMAROR.

AH DEI ORAT AMOR.

**T**empus adest, venit HORA, pio TE mitis AMOR  
DA facilem: DEA nempe THORO felice MARIA  
Ut sis efficies, & ADOREA certa MARITO.  
Armordax HODIE primordia sumit AMAROR:  
AH quid sollicitis opus indulgere querelis?  
Ille DEI, quo nostra calent præcordia, fidens  
ORAT AMOR, pellitque procul metuenda malorum  
Agmina, tartareas nunquam redditura sub umbras.

*M. Wolfgangus Heider F.*

F I N C I S.



III

САМОХАСТВЕНИЕ ПРИЧАЩЕНИЯ  
СИДЕРСКАЯ АДОМАНДА

М. С. О.

М. О.

X 2207119






# FarbKarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------



I A  
IASIL  
MI PRIN-  
INI D: IO.

AXONIAE  
lis Thurin-  
Milniae

SIMA PRIN-  
DOROTHEA MA-  
domini D:IOACHI-  
nhaldini, Comitis  
Domini Servestæ  
emoriæ re-  
ratae

R GI  
A. O. R.  
III.

is ergo

O HEIDERO  
enens.

E  
BINMANNI.

